

fule celebratum officium missæ per reuerendum patrem dominum Nicolaum episcopum Assinatensem. Qua missa celebrata, incipiebantur letaniæ, & alia fiebant, ut in sessionibus fieri solitum est. Præsidebat uero in eadem sessione reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. In qua sessione Hieronymus de Praga per reuerendissimum patrem dominum Petrum cardinalem Cameracensem & alios deputatos per concilium, in materia fidei instructus & informatus de fide recta sanctæ matris ecclesiæ, qui iam fuerat accusatus de hæresi, & per concilium super hoc in carceratus, quandam reuocationis seu abiurationis papyri schedulam, stans in ambone publice, alta & intelligibili uoce legebat, reuocâs & abiurâs, prout in eadem schedula, cuius tenor sequitur, continetur.

¶ Abiuratio Hieronymi de Praga.

Ego Hieronymus de Praga, artium liberalium magister, cognoscens ueram catholicam ecclesiam & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue eam de qua hæctenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizauerunt & tenuerunt Ioannes Vuicleff & Ioannes Hufz in suis opusculis, libellis seu sermonibus ad clerum & ad populum, propter quam causam prædicti cum suis dogmatibus & erroribus damnati sunt ab hac Constantiensi synodo tanquam hæretici, & eorum doctrina prædicta sententialiter damnata, maxime in nonnullis articulis expressis, in sententijs per hoc sacrum concilium contra ipsos latis. Consentio autem sanctæ Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedi & huic sacro concilio, & ore ac corde profiteor in omnibus & per omnia, & præsertim de clauibus, sacramentis, ordinibus, officijs & censuris ecclesiasticis, indulgentijs, & reliquis sanctorum & ecclesiastica libertate, ac etiam de ceremonijs & alijs omnibus ad religionem Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana ecclesia & apostolica sedes & hoc sacrum concilium præsententur, & specialiter quod prædictorum articulorum plures sunt notorie hæretici & dudum à sanctis patribus reprobati, quidam uero blasphemij, alij erronei, alij scandalosij, quidam uero etiam piarum aurium offensiuji & ipsorum nonnulli temerarij & seditionis & protulibus fuerunt prædicti articuli per hoc sacrum concilium nuper condemnati, & inhibitum omnibus & singulis catholicis sub anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos seu eorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, uel tenere præsumeret.

Item ego Hieronymus antedictus, quia in nonnullis artibus scholasticis ad persequendam opinionem de uniuersalibus rebus, & quod una communis generis essentia specificasset plura eiusdem speciei supposita & quodlibet eorum, ut Ambrosius Hieronymus, Augustinus, & sic de singulis, & ad hoc inducendum uelut exemplo sensibili descripsi quandam triangularem figuram, quam scutum fidei nominauit, ideo ad excludendum intellectum erroneum & scandalosum, quem fortassis aliqui ex hoc accipere potuerunt, dico, assero & declaro, quod dictam figuram non feci, nec eam nominauit scutum fidei ea intentione, quod uellem dictam opinionem de uniuersalibus extollere super opinionem contrariam, sic quasi esset scutum fidei, quod sine eius possessione non posset fides aut catholica ueritas protegi & defendi, cum nec dictæ positioni uelim pertinaciter adherere: sed hoc ideo dixi, quia in dictæ figuræ triangularis descriptione ponebam exemplum, quod diuina essentia est tria differentia supposita & quodlibet eorum, scilicet pater & filius & spiritus sanctus, qui quidem trinitatis articulus, est præcipuum scutum fidei & ueritatis catholice fundamentum. Præterea ut cunctis pateat, quæ fuerunt causæ, quare fui reputatus adherere & fauere dicto quondam Ioanni Hufz, norum facio per præsentem, quod cum multoties audissem eum in prædicationibus & scholis, credidi eum uirum bonum esse, nec in alio quo obuiare traditionibus sanctæ matris ecclesiæ ac sanctorum doctorum, imò etiam cum nuper in hac ciuitate mihi fuissent oblati articuli per eum positi, & per hoc sacrum concilium damnati, prima fronte non credidi suos esse, saltem in ea forma.

Cumq;